



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 46. Principum ac illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII.

A. C. 1624.

§. XLVI.

*Principum ac illustrium obitus.**Ferrer. Hist.**cont. Hisp.**t. II. c. I.**Brachel.**Hist. l. 2.**Meteran.**hist. Belg.**l. 44. p. 460.**Calmet Hist.**Eccl. de**Lorrain. t. 3.**p. 184.*

Non sine maximo luctu Ferdinandus II. Imperator Caroli Archiducis Fratris mortem perceperat; cum enim, ut Lusitanix Prorex, ac post Isabellæ obitum Belgii Gubernator esset, ab Hispano Rege Philippo IV. Madritum evocaretur, ac ibidem die vigesima octava Novembris singulari honore exceptus esset, quarto post die gravi morbo correptus, die vigesima quinta Decembris ex hac vita migravit. Erat is maximæ spei Princeps, prudentia & moderatione insignis, Magnus item Teutonici Ordinis Magister, & Episcopus Wratislaviensis & Brixienfis. Conferrebat Magisterium Baroni de Westernach Ordinis Vicario, ea tamen conditione, ut illud Leopoldo Archiduci Cæsaris Filio cederet, cum hinc annum ætatis decimum octavam attingisset; volebat enim Cæsar, ut in hac electione Domus Austriaca præteriretur, cujus magna & permulta in eum Ordinem conservandum, tuendumque beneficia exstitissent. In Episcopatu autem Wratislaviensi Carolus Ferdinandus Regis Poloni Filius successerat. Decanus vero Brixienfis per Canonico-

corum suffragia ejusdem Ecclesiae Epi-
 scopatum obtinuerat. Die autem tri-
 gesima Julii Nancæi Henricus Lotha-
 ringiæ Dux, anno ab obitu Patris sui
 decimo sexto, ætatis sexagesimo se-
 cundo mortuus est, non sine maximo
 populi sui mœrore; erat enim Prin-
 ceptus omnibus numeris absolutus, ar-
 dentissimus Religionis Catholicæ cul-
 tor, ac hæresum hostis, qui nulli pe-
 percit labori, ut hæreticos, postquam
 eos ad veram fidem per Viros Apo-
 stolicos reducere incassum adlaborabat,
 e finitimis Germaniæ urbibus ejiceret.
 Successerat eidem Carolus, suus ex
 Fratre Nepos, quem Venerabilis Pa-
 ter Dominicus a Jesu Maria Carmelita
 Excalceatus, obtenta a Pontifice legis
 venia, cum Nicolina Henrici Filia an-
 te triennium solemnè precatione con-
 junxerat. Obiit etiam die tertia Au-
 gusti Philibertus Sabaudia Princeps
 nonnisi triginta duos annos natus. Pari
 fato die decima quarta Martii mundo
 valedixit Joannes Georgius Marchio
 Jægerndorffius a Cæsare proscriptus,
 cujus supra frequens facta est mentio.
 Denique Franciscus Contarenus Vene-
 tiarum Dux hoc anno mortalitatem
 exiit, cui Joannes Cornarus succes-
 serat.

Sæc. XVII.
 A. C. 1624.